

Greg. c. III. l. IV. in I. Reg. « Sapientes quidem superbos et alta de se sentientes, parvulos dixit humiles, etc. » Non ergo persapientes intelligenti sunt litterati doctores et magistri, nec per parvulos idiotæ, quemadmodum fingunt hæretici aliqui, qui proinde contendunt rudibus datum esse Scripturarum intellectum, doctis vero negatum, ideoque munus concionandi concedunt illitteratis, tonsoribus et sartoribus, alicubi etiam scholas clausurunt, (quam enim hoc fœdum et indecorum esset in Ecclesia?) Bene fieri potest, ut quis doctor sit, et interim parvulus humilitate sicut e contra multi rudes et illiterati sunt, interim tamen sapientes apud semetipsos vel in rebus secularibus. « Multos, inquit S. Greg. lib. XIV. moral. c. XXVI. obtusi sensus homines cernimus et tamen eos in malis actibus astutos videmus, propheta quoque attestante, qui ait: Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt, » Jeremia IV.

V. Quomodo et cur abscondit Deus fidei suæ arcana sapientibus? Resp. quia negavit illis auxilia superabundantia et ipsis congruentia quibus illuminati fuissent, si ea accepissent. Non acceperunt autem propter suam superbiam, contumaciam et arbitrii repugnantiam. Sint duo cæci, vel vulnerati, quos illuminare vel curare intendit medicus: sed unus agnoscit suam miseriam et acceptat curam; alter non agnoscit, sed repellit et contemnit medicum; quare medicus huic quidem non impendit pharmaca sua, alteri impendit. Unde August. ser. cit. ait: « Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, lumen se putantibus: et tenebræ erant, et eo quod tenebræ erant, et lumen se putabant, nec illuminari poterunt: illi autem tenebræ erant, et tenebras se esse confitebantur, parvuli erant et non magni, humiles erant et non superbi, recte ergo dicebant: Tu illuminabis lucernam meam, Domine. » Sic August.

VI. Quomodo nemo novit Patrem nisi Filius, et nemo Filium nisi Pater. Resp. scientia naturaliet comprehensiva nemo novit Patrem nisi Filius et contra: non excluditur tamen hinc Spiritus sanctus. Sed non fit ejus mentio, quia nondum fuit datus, nec mundo adhuc cognitus. Sicut nec excluditur cognitio sui ipsius, tam in Patre, quam in Filio, sed ea supponitur. Nos per Christi revelationem Deum cognoscimus cognitione tantum revelata et supernaturali. Hebræi, ante Christum, cognoverunt quidem Deum, licet eam cognitionem a Christo non acceperint; sed non cognoverunt eum quantum attinet ad Verbi œconomiam et fidei mysteria, quæ Christus primum aperuit.

VII. Quinam illi, qui laborant et onerati sunt?

Resp. primo, qui sub jugo legis veteris gravi importabili ingemiscabant et adhuc ingemiscunt; de quo dicitur Actor. XV. *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, etc?* Item qui jugum idololatriæ superstitionis sustinent.

Secundo, qui sub onere peccatorum gemunt, et quandoque ad desperationem aguntur. Quemadmodum Cain et Judas sub hoc onere conciderunt. De hoc Ps. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

Tertio, qui grave illud Adæ jugum portant, de quo Eccl. XL. *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulture.* Sunt autem omnes vitæ humanæ miseræ et calamitates. Ex his labores sunt ii, quos in agendo sponte suscipimus, onera vero morbi ceteraque quæ inviti toleramus. Sub hoc etiam jugo multi pereunt, ut qui curarum impatientia, vel debitorum gravitate pressi sibi ipsis mortem inferunt: *Venite igitur ad me omnes, etc.*

VIII. Quomodo reficiuntur onerati, qui ad Christum veniunt? Resp. primo, oneratos refici in eo, dum ablato ab eorum humeris jugo gravi et importabili veteris legis et servitutis dæmoniacæ in gentilismo, imponitur eis jugum legis evangelicæ leve et suave: secundo, in eo, dum a peccatorum onere et conscientia carnificina expediti et liberati, spem salutis acquirunt, et jam in tuto extra laqueos dæmonis positos se vident: tertio, in eo, dum a Deo vires accipiunt, et dexteritatem quasi tolerandi cum gaudio omnes adversitates, scientes: *Quia tribulatio spem operatur, spes autem non confundit.* Non tollit quidem hoc onus (non enim ait: *Exonerabo vos*) sed refecit oneratos, ut onus facile et hilariter gestent, utpote cum maximo suo fructu et merito, etc. ac quemadmodum jugum bonum in aliquibus locis molli culcitra suffulcitur: ita jugum illud a Christo lenitur consolationibus. Ecce tibi, juxta Christum duo pendebant latrones, uterque in cruce sua: sed uni in cruce bene erat cum Christo, alteri vero male. Unus in cruce patiens erat, quia: *Digna factis recipimus,* inquit, alter vero impatiens: *Salvum fac et nos,* inquit. Ille Christum laudabat et confitebatur, iste vero blasphemabat. Nimirum illic jugum Christi gerebat, hic vero jugum diaboli.

IX. Quid sit jugum et onus Christi? Resp. lex est evangelica, continens præcepta fidei, sacramentorum et rerum quæ ad mores christianos pertinent. Dicitur autem jugum, primo, quia accedentibus ad Christum imponitur, eosque comprimit et constringit, ne quandoque carni et appetitui liberit, sequentur: secundo, quia nos ad

Christum per amorem ei servitatem, et ad proximum vinculo charitatis alligat.

Potest etiam distingui jugum ab onere, ita ut jugi nomine intelligamus legem evangelicam; oneris nomine persecutiones, tentationes et tribulationes, per quas premi et ingredi oportet fideles in regnum cœlorum. Utrumque expressit apostolus, II. Tim. III. cum ait: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

X. Cur hoc loco Christus humilitatem tantum et mansuetudinem imitandam nobis proponit? Resp. quia duæ hæ virtutes maxime necessariae sunt suscepturo jugum Christi. Vocaverat Christus laborantes et oneratos; laborantibus proponit jugum suave, oneratis onus leve. Nunc ut jugum legis evangelicæ laborantibus suave fiat, suadet illis humilitatem: ut onus tribulationum oneratis

leve fiat, suadet illis mansuetudinem. Sunt ergo duæ hæ sorores admodum necessariae homini christiano, humilitas ad suscipiendam et observandam Christi legem; mansuetudo ad superandas tentationes et vitæ hujus calamitates. Idcirco etiam apostolus binas has virtutes Ephesiis ad fidem vocatis vehementer commendat, ad Ephes. IV. *Obsecro vos, inquit, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine.* Bos jugo alligandus non solum flectere collum debet ad jugum suscipiendum, sed nec recalcitrare debet, cum stimulis urgetur. Duæ ergo hæ rotæ curru evangelicæ legis trahendo necessariae et utilissimæ sunt: *Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus,* inquit S. Leo, serm. V. de epiph. Hæ duæ alæ sunt, quibus ad requiem evolare possumus; quam nobis donet Deus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

JUGUM MUNDI ÆGYPTIACUM.

Servitus Ægypti. — I. Est jugum durissimum. — II. Jugum fœdissimum. — III. Jugum miserrimum.

THEMA.

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.
Math. XI.

Miserum prorsus erat servitutis jugum, quod imposuit Hebræis Pharaon rex Ægypti: adeo ut gemitus oppressorum ascenderit usque ad cœlum, Domino testante: *Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.* Qua vociferatione Deus apparuit Moysi in rubo ardente; qui nil aliud nisi eandem Hebræorum afflictionem, instar ignis, Hebræos urentem, significabat, Exo. III. eandem Lev. XXVI. *catenas* appellat *cervicum* ipsorum: ipse vero Moyses, Deut. IV. *fornacem ferream.* *Vox eduxit de fornace Ægypti, etc.* Verum servitus illa corpora tantum petebat, non animas: exiguam igitur fuit respectu servitutis, quam mundi amatores collo suo imponunt, quaque non tantum corpora, quam animas suas premunt, adeoque opprimunt; et quod maxime miserandum suas interim miserias non vident nec deplorant, imo etiam miseri certatim in eos insiliunt, nec inde eripi volunt. Igitur his, ut paulisper oculos

aperiant, et quale jugum trahant, intelligant, describemus obiter ipsorum servitatem, Ægyptiacæ illi non absimilem.

I. Servitus Ægyptiaca fuit Hebræis in primis durissima. Cogebantur enim facere lateres et obire *onem famulatum*, Exo. I. deinde conquirere sibi paleas ad faciendos lateres, Exo. V. Addit Josephus coactos flumen in multas fossas deducere, mœnia exædificare, et aggeres construere ad arcendas aquas, pyramides extruere, etc. quomodo fere nunc a Turcis mancipia vexantur. Quare non abs re suas delicias, ad quas redire cupiebant e deserto, appellant *cæpe et alia*; quia nimirum lacrymas eis, tantum non sanguineas, expresserunt.

Nihilo mitior est mundi servitus. Gravissima enim imponit onera in parandis opibus, honoribus, deliciis, commodis, contentanda uxore, promovendis liberis, parandis amicis, saginando corpore, etc. Et primo, ut hæc conquirant, laborant desideriis, quæ tantum non occidunt eos, dum concupiscunt et non habent: quorum typus fuit Rachel, quæ liberorum cupida, viro dicebat, Gen. XXX. *Da mihi liberos, alioquin morior, hoc est, mortem mihi ipsa consciscam,* ait Isidorus Pelusiotæ, l. II. epist. CCLXXIV. Quæ tamen, ubi liberos accepit, in secundo partu exstincta est, Gen. XXXV. Exemplo est Rex Achab, qui cum negaretur ei vinea a Naboth, indignabundus et frendens abiit domum, et posuit se in lectulum quasi ægri-

tudine tactus, neque cibum admisit, I. Reg. XXI. Pauperem ergo se reputabat, nec vivere posse nisi ab egeno vineam acciperet. Idem in honore desiderio demonstrat Aman, qui cum supra omnes exaltatus esset ab Assuero, et omnia haberet, nihil tamen se habere putabat, quamdiu Mardocheus coram eo genua non flexit, Esth. V. Si quis sæcularium domos percurreret, ubique querelas audiret a dominis, quod fideles servos acquirere non possint; a servis, quod caro nimis stipendia largiantur domini; a mercatoribus, quod non emanant eorum merces; ab emptoribus, quod caro nimis omnia vaneant, etc. quemadmodum et in Ægypto, non fuit domus, ubi non audiretur clamor et lamentatio propter mortem primogenitorum. Denique, sicut aranea se eviscerat et centies circumit, dum telam conficiat, in cuius medio aucupis instar expectat prædam, quantumvis vilem; ita fere servi mundi se exhauriunt et consumunt, inhiando et insidiando lucris, honoribus, voluptatibus ut vere dicere possint illud Ps. LXXXIX. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, quasi dicant: Sicut arenea cum magno labore et industria, quasi mediate telam textit, sic nos totis annis cogitamus lucra et prædas: interim nil nisi muscas capimus.

Secundo, in dispensandis, conservandis, augendis. Quia enim bona temporalia multos patiuntur æmulos et insidiatores, laborandum valde, quomodo quis sua defendat et abscondat. Et quia nunquam satiant, sed magis sitim accendunt, laborandum ut augeantur; hinc nulla quies. *Ite ad onera vestra*, dicitur Pharao Hebræis, Exod. V. sic mundus servis suis: Adulamini, mentimini, simulate, fraudate, vigilate, currite, navigate, sudate, esurite, etc.

Nero imperator in solis subscribendis litteris tantum sensit molestiæ, ut diceret: *Vellem nescire litteras*. Sigismundus imperat, in mensa etiam appellatus, asinos dicebat regibus beatiore, quod illi dum comedunt, clitellis exonerantur: reges vero etiam in mensa laboribus vexentur, Beirl. in apophth. chris. Philippus secundus Hisp. rex aiebat, reges esse similes textoribus, qui manibus et pedibus debeant laborare, et simul oculum semper ad fila convertere, ut rupta hic illic alligentur. Si hæc sentiunt reges, qui omnibus mundi deliciis putantur circumfluere, qui magni aestimant inferiorum commoditates?

Tertio, in perdendis, expendendis, deserendis. Herodot. l. IV. scribit Hypanim e fontibus quinque dierum viam aquæ exilem profluere ac dulcem: deinde post aliorum quatuor dierum iter perquam amarum. Tales sunt honores, opes, voluptates mundi: initio ad paucos vitæ dies mel-

leæ; at in fine, cum in morte deserendæ sunt, fiunt homini amarissimæ. Unde Ecclesiasticus, c. XLI. ait: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis*.

II. Fuit fœdissima in operibus luti, in fossione terræ et comportatione aggerum, omnique famulatu adeoque sordidis quibusque ministeriis. Eupolemus, vetus scriptor apud Eusebium, l. IX. de præpar. evang. addit, Hebræos jussu regis, diversi coloris ab aliis veste indutos fuisse, quo risui et vexationi Ægyptiorum exponerentur.

Nihilo honestior est mundi servitus, sive labores eorum spectes, sive dominum qui serviunt, sive confusionem quam inde metuunt. Primo enim, quid fœdus quam hominem ad imaginem Dei factum et cælo natum, fœdis et brutis voluptatibus vacare? Terræ glebas, aurum, inquam, et argentum effodere, desiderare, amare? Escis, poculis, vomitu, balneis et carnis blandimentis veluti bestię se oblectare? Vestium ornatu a brutis emendicato sibi inanem gloriam quærere? Quales bestias ex hominibus non reddit ebrietas? Libido nonne hominum conspectum fugit? Avaritia nonne omnibus exosa est? In hoc luto (de quo apostolus, ad Philip. III. *Omnia arbitror ut stercore*) mundani immersi hærent, sicut vermes in caseo, quia: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Bene ergo de his Joelis I. dicitur: *Computruerunt jumenta in stercore suo*. Ad litteram quidem loquitur de jumentis Hebræorum, Jerosolymis a Chaldæis obsessorum tam arcte, ut non possent educere ad pascua pecora sua, sed retinere in stabulis debuerint, usque dum in stercore suo perirent et putrescerent. Morali sensu intelliguntur mundani homines, qui *jumenta* appellantur, qui jugum mundi grave portant, eisque dæmones dicunt: *Incurvare, ut transeamus*, Isa. LI. quomodo Sapor rex Persar. Valer. Rom. Tamarlanes Bajazete Turcarum imp. usi sunt pro scabello. Quæ de causa etiam Deus homines, qui in bruta degenerarunt, deleturus diluvio, dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, Gen. VI. hoc est, carnalis et brutus. Tale mundi et voluptatum mancipium describit Æneas Sylvius, oculatus testis, in descriptione Europæ, c. XX. Hent. comitem Goritiæ, qui: « Muliere corruptior cum pastoribus ac rusticis sæpius quam cum nobilibus diversatus est. Senex super glacie cum pueris lusit; inter vulgata scorta frequentissime latuit; raro in aula pransus est; solus coquum adiens, offulas in ipsa popina voravit. Vestes induit viles ac perunctas, pectus nudum et aperit ostendit; oculi semper lacrymantem fuerunt. Quem cum aliquando ad se venientem Fridericus imp. ex fenestra intuitus esset, me (inquit Æneas)

vocitans: Age, inquit, principem, qui ad nos properat, contemplare: si quem pulchriorem mundiorumque videris aliquando, effare. Mihi cum satis principem comitesque considerassem, fœda rusticitas visa est, quæ dominatum assecuta, egregiam nobilitatem servitio premeret. » Sic ille. Non tam aperte et per omnia alii mancipia facti sunt: non multo tamen inferiores, si patere que abscondunt, forent.

Secundo, quid est fœdus quam dæmonis mancipium fieri? Ipse enim est immundus spiritus, et omnium creaturarum fœdissima, unde draco appellatur *serpens antiquus, leo, aspis et basiliscus*. Quoties fere apparuit, forma semper tam tetra fuit, ut ferri non posset, uti S. Bened. forma pueri nigerrimi, sicut et S. Anton. ac Macario; relinquere etiam post se odorem terribilissimum solet. B. Ægidio Minoritæ apparuit specie tam horrenda, ut, præ terrore, loquendi facultatem pene amisisset; expertus verissime dixisse S. Franciscum, Satanæ formam tam esse immanem et horridam, ut nemo ad spatium Dominicæ orationis possit eum salva vita intueri, nisi divinitus confirmetur, ut in vita B. Ægidii, 23. april.

Tertio, accedit infamia, quæ consequitur mundi amatores, si non semper in hac vita, saltem post illam: *Gloria enim eorum stercore et vermibus est*, Matthathias I. Macchab. I. Quis enim non abominatur Sardanapalum, Caligulam, Heliogabalum, Henr. VIII. Anglum, Wenceslaum VI. imp. Bohem. et similes? Moysi et Aaroni, cum urgerent Hebræos ad exeundum de Ægypto, ipsi responderunt velut ingrati cuculi: *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone*, Exodi, cap. V. Stulte quidem hoc illi; sed tamen vere: siquidem servi Dei bono odore vitæ suæ suarumque hortationum stimulis, quibus pungunt mundi servos et amatores, fœtere eorum vitam et mores faciunt, etiam coram mundo. Quantum fœtent avari, collati cum Sancto Francisco et religiosi, qui sua omnia reliquerunt? Quam sordent impuri, collati cum Catharina aliisque Deo dicatis virginibus? Quam putent voluptuarii comparati cum Antonio aliisque eremicis? Incestuosus ille Herodes factorem ipse suum ferre non potuit, præsentem castissimo Joanne: idcirco in carcerem inclusum ab oculis suis removit. Rainerus Tusciæ marchio et ipse incestuosus coram S. Romualdo apparere non audebat, nisi magno cum tremore, ut in vita S. Romualdi, 19. jan. Sur.

III. Fuit miserissima, quia sine mercede, sine necessariis ad opus paleis, imo compensata ad finem laborum verberibus ac flagellis.

Primo, ergo mundus mercedem non dat; quia nudos dimittit sepeliturque servos suos. Ægyptii

Hebræos in opere extinctos abjecerunt insepultos, nec sinebant eos humo tegi, neque plangi a cognatis, ut scribit Philo, I. de vita Moysis. Sic mundus servos suos bonis omnibus expoliatos foras mittit, et sæpe absque honore sepelit, sæpissime absque lacrymis suorum, qui vel bonis eorum relictis gaudent, si quid reliquerunt; vel interitu, si nihil.

Secundo, paleas etiam ad opus laterum necessarias prius dari consuetas eis detraxerunt. Quid vero palea nisi siliquæ illa prodigi, quibus saturari cupiebat, nec poterat? Voluptates nimirum judicant mundi sectatores, quos hic adeo concupierunt, ad extremum tamen perdunt. Nam vel ad inopiam redacti ob luxum et luxuriam nimiam egere incipiunt, et famem patiuntur ut canes, circumeuntes civitatem, et ad prandia se amicorum invitant et ossa rodunt; vel morbis obnoxii, deliciis uti vetantur si vivere velint; vel etsi velint, frui tamen non possunt; vel avaritia cæcati, non audent ad satietatem, ne dum ad voluptatem, sibi emere quæ placent.

Tertio, flagella addiderunt operum præsidibus quod minus urgerent operas, Exod. V. Eandem mercedem mundus servis suis, sub finem saltem, rependit, contemptum, indignationem, desolationem, derisum, ulcera et morbos, remorsum conscientiæ. Quemadmodum enim Laban servum suum Jacob tot annis fidelissimum atque utilissimum recedentem a se persecutus est, et contumeliis invasit, ac tantum non mercede sua spoliavit, Genes. XXXI. sic agit mundus cum servis suis.

Sed quid agendum nunc? Itane mundus relinquendus omnibus? Hoc non dico, sed si in mundo conversandum tibi sit, caute converseris. Canes in Ægypto raptim e Nilo bibunt, propter metum crocodilorum, qui bibentes repente corripiunt: sic bibe et tu e mundo, properanter et attente, ne a crocodilis rapiaris, quibus mundus plenus est. Imitare trecentos illos Gedeonis milites, qui non flexis genibus e flumine biberunt, sed erecti, instar canum, aquam lambendo hauserunt, Judic. VII. Ne odores mundum, ne immergas te in ejus illecebras: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, I. Joan. II.

CONCIO II.

JUGUM LIBIDINI SERVIENTIUM DURISSIMUM.

Sic captus et subjugatus Samson. — I. Reponit caput in sinu mulieris. — II. In sinu Dalilæ tondetur. — III. Traditur Philisthæis et cæcatur. — IV. Vincitur catenis. — V. Ducitur in Gazam. — VI. In carcere inclusus molam trahit. — VII. Varie illuditur.

THEMA:

Tollite jugum meum super vos. Matth. XI.

Infamis ille Jeroboam, uti III. Reg. XII. legimus, ubi vidit decem tribus Hebræorum excussisse jugum Roboami regis, velut nimis durum, rex illarum electus, quo eas sibi arctius subiceret ac subjectas retineret, atque a templo Salomonis cultuque Dei abduceret, duos aureos vitulos, seu ut Septuaginta habent, vitulas erexit, unam in Dan, alteram in Bethel, ut viciniora sibi delubra habentes, a templo Jerosolymitano, velut longe dissite, facilius abstraheret. Nec difficile seduxit majorem populi partem, et suo jugo subdidit, necnon ad vitulorum cultum attraxit. Roboam dilatans populum exponitur, et Christum in hoc representat, qui per universum orbem dilatavit populum fidelium; Jeroboam impugnans populum exponitur, et significat diabolus, qui fidelium populum impugnat. Christus dixit: *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est.* Satan contra ait: *Tollite potius jugum meum super vos; quia jugum meum multo suavius est: via mea brevis est, illa longa: mea lata, illa angusta.* Ad hoc proponit vitulos et vitulas, id est, juvenes, et puellas, viros et mulieres, ut subjiciant se et serviant illis; decipitque heu quam plurimos! Attendite hic, Christiani, ne decipi mini a Jeroboamo: major enim pars ipsum sequitur: capiuntur tam viri mulierum amore, uti Samson amore Dalilæ; quam mulieres virorum, ut uxor Putipharis amore Josephi. Inter alios foedissime decepit olim Samsonem amore Dalilæ, eumque jugo suo tremendo subjecit, idemque facit adhuc innumeris. Hoc ergo jugum, ut vite-mus, nunc describemus.

I. Samson Dalilæ blanditiis tentatus, ut in ejus sinum caput reponeret ac dormiret, turpiter persuasus est. Idem contingit juvenibus ac viris, si cum puellis et alienis mulieribus sæpius conversentur, et vicissim istis. Graviter hoc testatur Salomon, laqueum hunc non expertum solum, sed eo misere captus, Prov. VI. cum ait: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui in-*

greditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Miser Salomon non advertit quod dixerat Dominus filiis Israel: *Non ingredimini ad eas (mulieres alienigenas); certissime enim avertent corda vestra,* III. Reg. XI. sed post expertus est. Idem fatentur ss. patres. S. Basil. tract. de virg. « Stuppa (inquit) si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur: ita et feminæ corpus masculum tangens: » et S. Bern. ser. LXV. in Cant. « Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; et quod majus est, vis ut credam tibi? »

Porro noster Samson quatuor potissimum laqueis irretitus fuit a Dalila. Primo, verbis blande objurgantibus, dum per multos dies molesta illi erat, dicens: *Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Quod scilicet non aperias mihi secretum tuum. Secundo, potus intemperantia, ut scribit Josephus, et consentiunt S. Basilius, orat. II. de jejun. Ambrosius, ep. LXX. Theodoretus, q. L. I. III. Reg. III. Tertio, contactu, reponendo caput in sinum ejus. Is autem in hac re potentissimus ad pervertendum hominem laqueus est. Ut enim sal, quia ex aquis generatur, ubi aquam contigerit, in aquam mutatur; ita vir contactu feminæ, unde gignitur, fit feminæus. Quarto, otio, dum in ejus sinu dormit, ut Josephus et Ambrosius, ep. cit. scribunt. Hi omnes laquei potentissimi sunt quibus si accedant luxus vestium, chorea, symphonia, munuscula, quis evadere poterit? Certe fortissimi quique, qui armis vinci non potuerunt, his illecebris victi sunt. Hercules amasiæ minas et verbera timuit. Miloni Crotoniatæ, cui: « Nemo adversariorum malum, quod in manu tenebat, eripere potuit, amasia ejus nullo negotio eximebat, sæpe cum eo contendens, » inquit Ælian. lib. II. var. c. XXIV. Sic etiam Samson, quem omnes Philisthæi capere non poterant, ab una muliere captus est. Hac de causa ad doctrinam nostram, nec ipse Christus Dominus solus cum mulieribus loqui consuevit, ut patet, Matth. IX. ubi non nisi cum tribus discipulis parentibus puellæ mortuæ ad ejus conclave ingressus est: et Joan. IV. ubi cum ipse ad puteum sedens, Samaritanæ responsa daret, mirati sunt discipuli, quod cum muliere loqueretur, quia scilicet id ei consuetum non erat.

II. In sinu Dalilæ ab ea attonsus fuit. Capilli, quia de capite prodeunt, cogitationes significant: et quia Samson Nazaræus erat, prolixum capillum habuit, Deo sacratum, in quo ei Deus singulares vires contulerat, quoque detonso, vires illas perdidit. Qui libidini servit et mulierum commercio, omnes bonas et pias cogitationes

abjicit, nihil de Deo loqui, nec Dei verbum audire, nec pios libros legere, neque confiteri et vix obiter orare permittitur. Mens enim tota ad libidinem abripitur, unde ei displicet, quidquid spirituale est: sola caro sapit. Hanc cogitat, loquitur, somniat, quærit, tractat: tanta ejus tyrannis est. At sicut detonsus sentit frigus, quod capillatus non senserat: sic Dei gratia destitutus sentit animum a divinis prorsus refrixisse; quemadmodum sensit Samson calorem Spiritus sancti a se recessisse. Cur avolant a nobis pleræque aves in autumno et alio migrant? Quia frigore hiemis nostræ austero pelluntur, ita Spiritus sanctus fugit a nobis propter frigus nostrum. Forfex, qua detondentur bonarum cogitationum capilli, est oblivio Dei, de qua Ps. IX. dicitur: *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Hinc quemadmodum Samson viribus suis, ita homo destituitur gratia Dei, quia fœdis cogitationibus, colloquiis, gestibus, tactibus imaginem ejus velut luto in se conspurcat. Casta enim Deo puritatis omnis fonti placent, impura displicent. Felis suum antrum, postquam vulpes suo fœtore illud inquinavit, deserit, et vulpi cedit, Plin. I. VIII. c. XXVIII. ita deserit gratia Dei hominem, quem reperit fœtore, libidinis inquinatum, ac relinquit dæmoni. Unde Gen. V. dicitur: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, id est, carnalis totus evasit.*

III. Traditus Philisthæis statim excæcatus fuit. Idem contingit libidinem sectantibus: amoris enim vehementia extra se rapiuntur, et quasi amentes fiunt, juxta id Ose. IV. *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor.* Certe amor Bethsabee eruit oculos Davidi, adeo ut ipse diceret Psalm. XXXVII. *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum non est mecum.* Et forte non respicisset, nisi Nathan ejus peccato alium induisset, artificiosa captione. Ejusdem filio Salomoni amor feminarum ita eruit oculos, ut Deo vero relicto illarum idola adoraverit. In quam amentiam incidit Henricus VIII. Angliæ rex ob amorem mulierum. Nonne eo usque cæcatus fuit, ut legitimam eamque regiam conjugem jam prole mascula donatam, post viginti primum annos abjecerit, et unam e gynæceo deformem mulierculam alterius quondam mulam, adamarit et duxerit? Erat enim oblonga facile, capillo nigro, colore subflavo: nullus erat in vultu decor, os deturpabat dens unus in superiore gingiva prominens; in dextra manu sextus adnascabatur digitus, sub mento etiam succrescebat turgidum quid, cujus deformitatis causa collum et pectus operiebat, Florim. lib. VI. hæc. capite II. Quale

monstrum hic amavit! Nonne post stupratam ejus matrem, ipsam filiam duxit, idque ex sententia adulatoris, non gravius esse censuit, quam gallinæ pullum et matrem ejus comedere? Nonne eo amentia venit, ut se caput Ecclesiæ in Anglia scriberet? Notum illud de Theotimo, qui ob immodicum Veneris usum oculis laborans, cum audisset sibi a Venere abstinendum, si servare oculos vellet, respondit: *Vale amicum lumen,* apud S. Ambros. t. IV. in Luc.

IV. Vincitur catenis ferreis et chalybæis, ut habent Hebræi. Ita libidinosi semel capti adstringuntur jugo illo ferreis quasi catenis, ut se inde difficillime liberare queant; uti fatentur ipsi suis confessariis sæpe cum lacrymis, quod abstinere nequeant ob inveteratam consuetudinem et carnem depravatam. Fatetur et Salomon hoc jugum expertus, Prov. II. *Omnes qui ingrediuntur ad eam (mulierem alienam) non revertentur, (hoc est non se expedient ab ejus laqueis) nec apprehendent semitas vitæ.* Quam ob causam Rhemen. episcopus I. Remigius putat majorem hominum partem, exceptis parvulis, damnari ob hoc vitium. Fatetur quoque Sanctus Augustinus, libro VIII. confess. capite IV. se hoc vitio captivum, ferrea quasi consuetudinis catena alligatum, exire non potuisse. Est enim tenacissimus viscus et fortissimus laqueus libido vel semel delibata; unde Proverb. VII. appellatur *vinculum* seu *compes*. Facile autem est pedem compedi immittere, sed non facile extrahere. Causam dat S. Hieron. in reg. mon. quia cætera peccata facilius superantur, deponitur avaritia cum marsupio, superbia cum vestibus; at libido carni insita, carnem vero qui abjicies?

Quod si accedant actus sæpe repetiti, tunc inde fit catena multis e nexibus confecta, adeoque consuetudo pene insuperabilis, uti questus fuit Augustinus. Diabolus etiam refricat eis in mentem crebro antiquas species ex quo fit ut libidinosi sæpe quidem compungantur et pœniteant in concionibus et confessione; sed mox, ubi iterum amasium vel amasiam vident, relabuntur. Unde S. Chrysostomus, hom. XXIII. ad pop. ait: *Tam difficile est libidinosum castitati, quam mortuum vitæ restituere.* Cujus rei exemplum est inter alios Fridericus comes Ciliæ, apud Æneam Sylvium in descript. Europæ, c. XXI. qui concubinæ amore legitimam conjugem sua manu interemit, uxores passim maritis abstulit, puellarum greges in palatium rapuit; ac licet anno jubilæi jam nonagenarius indulgentias lucraturus Romam ivisset, reversus tamen nihilo melior visus cum interrogaretur, quid sibi Roma profuisset, in pristinos mores relapso: *Et calceator meus,* inquit, *ad con-*